

SPECIMEN  
HISTORIÆ LITTERARIÆ  
FENNICÆ,

---

CUJUS

PARTEM SECUNDAM

*Conf. Ampl. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,  
publice ventilandam sistunt*

PETRUS JOH. ALOPÆUS,

*Histor. Litter. Docens & Biblioth. Acad. Amanuensis,*

Et

ADOLPHUS HENRICUS WINTER,

*Wiburgenses,*

*In Audit. Maj. die XIX. Nov. A. MDCCXCIV.*

Horis ante meridiem solitis.

---

AEOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS,



§. V.

Tametsi de antiquiori *Schola Cathedrali Aboënsi*, superiori paragrapho pauca jam disseruimus: de ea tamen paullo fufius loqui in animum induximus, quod & per totum sæculum præcipua apud nostrates erat eruditionis palæstra, & claris deque patria sua bene meritis viris conspicua, quorum igitur memoriam, quoad tenebræ rebus nostris historicis offusæ permiserint conservandi, commoda simul nobis offertur occasio.--- Ex litteris Rectoris Scholæ ER. HERKEPÆI supra pag. 22 seqq. typis commissis apparet inter alia, eum initia linguæ Græcæ juventuti Scholasticæ tradere cœpisse, sed propter id *novitatis* studium, multa passum esse incommoda. Neque enim juvenes in Fennia litteris operam navantes unquam antea lingua Græca instituebantur, quæ tempore Papistico ab institutionis negotio penitus erat exclusa, & ad quam docendam nec post Reformationem Ecclesiæ, Scholarum doctores obstricti erant, antequam de ea re in Scholis Cathedralibus tradenda A. 1604 fuit decretum a J. Præterea ex laudatis videmus litteris, *Herkepæum* reditibus a Rege liberaliter ei tributis fructum fuisse. Quis vero *neophytus* iste sacerdos fuerit,

D qui

(a) Cfr. BAAZIUS *Inventar. Eccles. Sveogoth.* pag. 562, 607. & *Novellæ Aboënses* A. 1772. pag. 67 sq. & 74 sq. ubi etiam quæ de docendi in Schola Aboënsi usitata methodo præterea nota sunt, traduntur; qua de re cfr. quoque Cel. BILMARK *Hist. Reg. Acad. Aboëns.* pag. 6.

qui *Herkepæi* munus occupavit, nobis est incognitum.--- Porro ex vetusto apographo in Bibliotheca Reg. Acad. Aboënsis asservato, Orationis Episc. PAULI JUUSTEN, in Synodo Aboënsi Anno 1573 habitæ, pauca quæ ad rem nostram faciunt, & institutionis eorum temporum rationem illustrare poterunt, describemus:

*Undecimo (commonefaciendi estis) de vulgo admonendo ad adjuvandos Scholasticos & transmittendis liberis ad studia Scholastica. Nos enim, qui jam docendi munere fungimur, sicut mortales sumus omnes, ita Ecclesie Dei perpetuo inservire non possumus; quare alii ad studia litterarum a teneris assumendi sunt, in iis instituendi, retinendi & adjuvandi, ne Ecclesie Dei & Reip. ministri desint idonei, quorum opera & ad Christianæ religionis doctrinam propagandam conservandamque, & ad munia civilia utatur Respublica. Huic communi utilitati omnes intentos esse convenit. Parentes ideo sibi liberos datos existiment, si ad Ecclesie & Reip. ministerium eos utiles & idoneos obtulerint. Vulgus promiscuum gloriosum esse judicat, si sua ope ad id sedulo eos adjuverint promoverintque.--- De quo vero studio, vulgi liberos ad petenda munera tam civilia quam ecclesiastica adhortandi, temporum ratione mutata, jam longe aliter judicatur.-- Nonnullis porro interjectis hæc comparent:*

*Decimo quinto, de determinatione Parochiarum decretum Concilii Provincialis.*

*Moneantur Scholaſtici, ante reſignationem Scholæ, per eorum Reſtores, quod in rure eleemoſynas conquirendo abſtineant a mendacijs, ſortilegijs, varijs Scripturis deceptorijs, & alijs abuſionibus, ſcilicet promulgatione Indulgentiarum &c. & modis omnibus quibus nituntur occulta furta, quomodolibet inveſtigare; quod ſi quis inventus fuerit agere, ſcribere, uti, vel portare, ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpenſus, publica flagellatione virgarum, & carcerum cuſtodia puniatur.*

*Item Præpoſiti rurales & Paſtores Eccleſiarum, Scholares extra debita tempora evagantes arreſtent, & res eorum viciniore Reſtori Scholarium aſſignent, pauperibus erogandas. Præpoſiti vero & Paſtores Eccleſiarum hujus Statuti tranſgreſſores, poena X marcarum puniantur. Curati quoque eoſdem Scholares vagabundos apud ſe recolligentes, eadem poena, videlicet decem marcarum punientur. Scholares utantur clauſis togis & decenti habitu, in forma & colore. Quod ſi Reſtor Scholarium ſupra eorum exceſſibus (eos) non corripuerit, ſibi de ſuo ſalario deſalcetur. Item Scholares vagabundi abſque litteris teſtimonialibus prioris Reſtoris Scholas petentes & obtinentes, prima vice eleemoſynarum quaſtu careant. His & hoc adjici debet, quod Scholaſtici procurent, ne cuiquam in Parochiis ſcandalo ſint, impia & inhoneſta vita, aut turpibus moribus, Catechiſmum fideliter recitent, inter deambulandum de leſtionibus auditis & alijs pijs rebus repetendo colloquantur, diſcordias & contentiones ubique vitent, & publicis precibus inſiſtant.*

Quæ omnia ad statum non solum Scholæ Aboënsis, sed ceterarum etiam Scholarum Fennicæ illustrandum, simul pertinent. --- Ad Rectores Scholæ Ab. quod attinet, iis quæ de Episcopo scimus Revaliensi CHRISTIANO AGRICOLA (b), qui A. 1578--1582. Rector Aboënsis fuit (c), addendum est, eum Revaliæ mortuum fuisse A. 1586; quod discimus ex litteris *Johannis Olai Wiburgensis*, Præpositi Revaliæ, & *Georgii Michaëlis*, Præpositi Hapsaliæ, quæ datæ sunt, ut ipsa verba sonant: *midh Domsyrkian i Resfle fier de dagen effther then salige Biscop Christians Christelige affårdh, ihen 22 Februarii Anno uthi thett minstha talett Ortarie ser*, quarum litterarum exemplum servat Bibliotheca Academica. --- Dux porro existunt epistolæ GREGORII MARTINI TERTII (ut ipsa subscriptio prioris audit), quibus, datis Aboæ d. 24. Apr. 1590 (quarumque antiqua apographa in Bibl. reperimus Acad.) invitatur ad nuptias suas cum antecessoris *M. Jacobi* vidua *Margareta Henrici* filia celebrandas. Verisimile est, quod tamen in tanta, qua laboramus, horum temporum obscuritate, pro certo affir-

---

(b) De Rectoribus Scholæ, MICH. AGRICOLA & PAULO JUUSTEN (Episcopis tandem Aboënsibus) vid. JUUSTENI *Cbron. Episc. Finl.* pag. 39. seqq. & RHYZELII *Episcoposcop.* P. 1. pag. 344 sqq. Cfr. etiam, si placet, quæ supra pag. 19 attulimus, De ER. HERKERÆO, qui itidem per longum tempus Rector Scholæ Ab. fuit, consuli debent *Novellæ Ab.* A. 1793. N.º 1; (c) Cfr. BAAZIUS l. c. pag. 598, 454 & *Nov. Ab.* A. 1794. N.º 31 nec non, A. 1772. pag. 89 sq.

affirmare adhuc non audemus. *Teittum* eo jam anno (1590) Rectorem Scholæ Ab. fuisse (quod munus a certe 1593. eum gessisse certum est. cfr. supra pag. 20 not. (g), & quæ de eo mox pluribus disputanda sunt) adeoque ejus in eo munere antecessorem fuisse Magistrum illum *Jacobum*; qui vero, quis de cetero fuerit, nos latet. Mag. JACOBUM FINNONEM suspicaremus, nisi SCHEFFERUS (*Svec. Litter.* pag. 316) diceret, eum Pastorem fuisse Aboënsē, quare in munere Rectoris obire ille non potuit. Nihil definire certi valemus. (d) *Gregorium* vero illum *Martini*, Rectorem Scholæ Ab. qui Concilio Upsaliensi A. 1593 adfuit, ejusque decreto subscripsit (e), eundem fuisse *Gregorium Martini Teittum*, cujus epistolas duas nuper commemoravimus, extra dubium ponit Disputatio *Marci H. Helsingii* A. 1593 Wittebergæ defensa (de qua mox), quam dedicavit Auctor *Dn. Erico Erici, Episcopo Aboënsi & Administratori Wiborgensi, & Dn. Mag. Gregorio Teitto, Rectori Scholæ Aboënsis*. Quamvis vero æque certis rationibus demonstrare non valeamus,

D 3,

Gre-

(d) Cujus ceterum viri, de JACOBO FINNONE loquimur, apud nos olim celebri, multorumque erga patriam suam meritorum, admodum paucas, easque ex parte nec certissimas superflites habemus notitias.

(e) Cfr. ipsa subscriptio hujus Decreti, LOENBOM *Historiska Märkvärdigheter* P. 1. pag. 154, *Nov. Ab.* A. 1772. pag. 125. lq. not. (°), & quæ supra pag. 20. not. (g) disputavimus.

Gregorium illum, qui a. 1601 Pastor erat Ab. (f), eundem hunc nostrum Rectorem Scholæ Gregorium scil. Teittum fuisse, quippe quum inter Collegas Scholæ Ab. a. 1593 nomen alius Gregorii Martini occurrat; Teittum tamen hunc Pastorem Ab. fuisse, credimus: præsertim cum etiam JUSTANDER (*Orat. de quibusd. Antiquitt. Abogicis* pag. 8) pronuntiet, *Mag. Gregorium Teet (f. Teittum) primo Rectorem, dein Pastorem Aboæ fuisse*. Decessisse videtur a. 1615. (g) MARCUS HENRICI HELSINGIUS, Teitti in munere Rectoris successor, de quo supra pag. 20. not(e) mentionem fecimus, Wittebergæ litteris studuit (h), ibique a. 1593 Disputationem edidit, supra jam laudatam, cujus titulus est: *De rationali hominis anima Metaphysicæ Propositiones, quas -- sub præsidio -- M. CHRISTIANI HASTÆI Rinthelensis, in celeberrima -- Wittebergenfi Academia defendendas suscipiet MARCUS H. HELSINGIUS, Nylandensis Finonius. Habebitur Disputatio ad diem 10 Augusti 1593. Plagula una cum dimidia. 4:o. Ejus quoque extat: Elenchus seu Refutatio succincta Thesium Calvinianarum ex ordinantia Ecclesiastica Ecclesiarum Heidelbergensium decerptarum, & in Svecicum idioma, a Reverendo, docto ac pio viro, PETRO JOHANNIS GOTHO Norcopensi, transfusarum; Conscripita a MARCO H. HELSINGIO. Rosochii*

(f) Cel. PORTHAN *Hist. Bibl. Acad. Aboëns.* pag. 38. not.(m).

(g) Cel. PORTHAN l. c. pag. 13. not. (g).

(h) Anno jam 1592 Wittebergæ fuit, Cel. PORTHAN l. c. pag. 12. not. (g).



stoehii 1603. 8:0 min. Hujus libelli meminit etiam  
 SCHEFFERUS *Suecia Litter.* pag. 63, ubi tamen male  
 eum vocat Theol. Prof. Aboënsē. -- Annos decem  
 & quatuor Rector fuit Scholæ Ab. (i). Jam A. 1596.  
 fuisse Rectorem, demonstrat etiam inscriptio opusculi  
 ejus, supra pag. 20 not. (e) a nobis commemorati,  
 quæ ita audit: *Analysis Logica, cum præcipuis Locorum  
 doctrinæ observationibus, Epistolæ ad Titum, Tradita  
 ad calamum a M. Marco Henrici Rectore Scholæ Aboënsis  
 A. 1596 Mense Novemb.* alterum vero ejus Opusculum,  
 itidem a nobis supra l. c. memoratum, sic incipit: *Com-  
 pendium Astronomicum, ad calamum tradi inceptum, le-  
 gitima methodo a M. Marco Henrici Helsingio, Rectore  
 Scholæ Aboënsis, Anno Domini 1597, Prid. Non. April.*  
 In penu antiquorum documentorum, quæ servat Bibli-  
 otheca nostra Acad. duæ inveniuntur epistolæ latinæ  
 ab eo, Rectoris munere fungente, conscriptæ, quarum  
 altera data Aboæ d. 8. Dec. A. 1599 ab omnibus ad  
 quos *litterarum illarum exhibitor* (Scholaris quidam)  
 perveniret petit, ut paupertatem ejus sua beneficen-  
 tia sublevarent, altera dat. d. 8. Calend. Aug. A. 1602.,  
*Johanni*, Pastori Ecclesiæ in *Somero* scriptis, duos  
 Scholares liberalitati ejus Ecclesiæque ei concreditæ  
 commendat. Præterea duas alias vidimus ab eo pro-  
 fectas, ejusdem argumenti epistolas, latine pro more  
 exaratas, ad Pastorem Ecclesiæ in *Kumbling*, *Ericum*,  
 missas, quarum altera data est die *Luciæ* 1605, altera  
Idi-

---

(i) Cæl. FORTHAN l. c. p. 15. not (g).

Idibus Dec. 1607.--Diem suum obiisse anno 1608 aut initio anni 1609 putamus. (k).--Ceteri Scholæ doctores Saec. XVI:to *Hypodidascalorum* s. *Collegarum* (Söd-rare) nomine veniebant. Auctor Historiæ Scholæ hujus (*Nov. Aboëns.* a. 1772 pag. 66) quem significatum nobis est fuisse Rectorem Scholæ Cath. Ab. Mag. ANDREAM WETTERBLAD, dicit eos fuisse tres aut quatuor. Litteras autem habemus in Bibl. Acad. nostra servatas die 1. Jul. 1591 Scholæ Aboënsis nomine Regi JOHANNI III latina lingua scriptas (quarum epitome exhibetur in *Nov. Aboëns.* a. 1794 N:o 33), quæ demonstrant eo tempore hypodidascalos sex fuisse. *Decreto Concilii Upsaliensis* a. 1593. præter Rectorem Scholæ *Gregorium Martini* (*Teitium*), cujus nomen inter Capitulares s. Consistorii Eccles. Assessores occurrit, subscripsisse reperiuntur quinque Collegæ Scholæ Ab. nim. *Matthias Georgii*, *Gregorius Martini*, *Martinus Laurentii*, *Matthias Georgii*, *Johannes Clementis*. Memoratæ nuper litteræ d. 1. Jul. 1591. scriptæ etiam docent, Rectorem Scholæ Regia munificentia sustentatum, quo ceterum modo ignotum est (nisi quod suspicamur, eosdem fere habuisse redditus, quibus tempore Reg. CAROLI IX. Rector usus est; id quod litteræ Capit. Ab. in *Nov. Ab.* a. 1792 N:o 41 sq innuunt) sed Hypodidascalis nulla alia ratione, quam publicas elemosynas ex paræciis nonnullis colligendo confutum fuisse. Cum vero *Marcus Henrici Helsingius* Rector esset, novis præterea Schola ornata fuit doctoribus.

Sci-

---

(k) Cel. PORTHAN l. c. pag. 12. not. (g).

Scilicet A. 1604 CAROLUS IX in Scholis Cathedralibus ( quarum nempe in numero nostra quoque Aboënsis erat) duos præter *Rectorem* constituit doctores alios, nimirum *Lectorem Theologiæ & Conrectorem*. (l) Collegas quosdam post hæc quoque tempora in Schola Ab. docuisse, exemplum demonstrat *Gabr. Melartopai*, qui A. 1602 -- 1606 eo munereungebatur (m).-- Qualia stipendia annua & Rectori & Theol. Lectori atque Conrectori tributa fuerint, docent nos supra laudatæ litteræ *Capituli Aboënsis* A. 1614 d. 30 Dec. scriptæ, & in *Nov. Aboëns.* A. 1792 N:o 41, 42 impressæ.-- Jam ad JOACHIMUM MATTHIÆ (s. ut etiam se vocat, MATTHÆI) STUTÆUM, *Marci Henrici* successorem nos conferamus (n); quem anno 1615.

E

Re-

(l) Qua de re cfr. BAAZIUS l. c. pag. 607, STIERNMAN *Ris- dagars och mätens beslut* P. I. pag. 581 & *Nov. Ab.* A. 1772 p. 75.

(m) Cel. FORTHAN l. c. pag. 12, not. (g).

(n) Anteaquam ad reliquos initio Saec. XVII:mi viventes Scholæ Aboënsis Doctores commemorandos progredimur, mentionem facere necesse nobis est nonnullorum opusculorum, opem nobis & hoc loco & aliquoties infra egregiam ferentium. Nimirum ea est Historiæ nostræ antiquioris tristis conditio, ut non nisi ex rebus misoris alioqui momenti, antiquiorum doctorum nostrorum, quemadmodum etiam aliarum Historiæ nostræ illustrandæ infervientium rerum notitiam comparare queamus, e quibus itaque fontibus, quoniam meliores non exstant, hauriemus. Sequentia dicimus scripta, in primis ob epistolâs dedicatorias memoratu hoc loco digna:

*Erici Isaci Sill, Ostrobod. Progymnasma Poëticum de Gaudio Christianorum in Cælis, Upsaliæ 1623 4o Dedicatum est. - - - Dn. M. Joachimo M. Stuthæo, pastori Aboensium; Dn. M. Gabrieli P. Melartopæo Scholæ Aboensis Rectori; Dn. M. Thomæ T. Florino S. S. Theol. ibidem lectori; Dn. M. Marthino H. Stodio ejusdem Scholæ correctori - - -*

*Bergeri de - Rhotbovio Isaaci, Sveci, Disputatio Metaphysica de Potentia & Actu, sub presidio M. Ernesti Mylii. Rostochii 1652. Dedicata: Dn. M. Isaaco Rhotbovio, Diæceseos Aboensis Episcopo, Patri suo; - - - M. Gabrieli Melartopæo, Scholæ Aboensis per longum jam tempus moderatori; M. Thomæ Florino, Gymnasii Aboensis olim Lectori Theologiæ; - - M. Joachimo, Diæceseos Aboensis Archiepiscopo, Ecclesiæque Aboensis Pastori; M. Eschillo Petræo, S. S. Theologiæ Licentiato, Gymnasiique Aboensis Lectori; M. Erico Matthiæ Forthelio in Gymnasio Aboensi Logicæ Lectori, & P. T. Rectori; D. Boetio Olai Muur, in Gymnasio Abo: Eloquentiæ Lectori; - - -*

*Gabrielis H. Brenneri, Botbniensis, Brevis Dehortatio a detestabili vitio ebrietatis. Upsaliæ 1654. Dedicata - - - M. Eschillo Petræo, S. S. Theolog. Licentiato, Gymnasii Aboensis Lectori primario, nec non Ecclesiæ Dei in Sagu Pastori, & adjacentium Ecclesiarum Præposito; M. Thomæ Florino S. S. Theolog. ibidem Lectori, Ecclesiæ in Lundo Pastori, & propin quarum Ecclesiarum Præposito; M. Svenoni Vegelio, quondam Revaliæ Rectori, nunc vero Gymnasii Aboensis S. S. Theolog. Lectori designato; M. Erico Forthelio, Logices Lectori & Oratoriæ; Dn. Boetio Muur Matheseos Lectori.*

*Andræe Johannis K. (Keckonii), superiori Satacundia Finlandi, Oratio continens Liberalitatis laudem, A. 1638 recitata.*

Rectorem fuisse scimus Scholæ Aboënsis (o). At superstites sunt tres ejus epistolæ, eundem in finem ac

E 2

Mar-

Upsaliæ. *Dedicata* - - - D. M. Aeschillo Petreo, S. S. Theolog. Licent. Ecclesiæ Aboënsis & in Nummis Pastori; D. M. Svenoni Wigelio in Gymnasio Aboënsi S. S. Theolog. Lectori & Pastori in Sagu; D. M. Martino Stodio ibidem S. S. Theolog. Lect. & in Lundo Pastori; D. M. Johanni Orbergio, Gymn. Rect. & Physicæ Lect. D. Andreae Neocleandro Philosophiæ Candidato & Eloquent. Lect. D. M. Georgio Alano Mathe. Lect. - - D. Boëtio Murenio, Pastori in Saltwisch; - - -

*Abrahama A. (Andreae) Kollanii, Satacundia Finnonis, Oratio de Invidia, A. 1639 habita. Upsaliæ. Dedicata* - - Du. M. Aeschillo Petreo S. S. Theol. Licent. Ecclesiæ Aboën. & Nummensis Pastori; Du. M. Svenoni Wigelio Gymn. Aboën. S. S. Theol. Lect. & Pastori in Sagu; Du. M. Martino Stodio ibidem S. S. Theol. L. & Pastor. in Lundo; Du. Andreae N. Neocleandro Philos. Candidato & Eloquentiæ Lect. - - - Du. M. Thomæ Florino, olim Gymn. Aboën. Lect. - - - ac Past. in Mustasaari (Exemplar quod ad manus habemus hoc loco est mutilatum, ut putamus autem dicitur, eum olim fuisse Gymn. Ab. Lectorem, nunc (Præp. & Past) in Mustasaari (& Wasa?).) - - - & Du. M. Georgio Alano Gymn. Aboën. p. t. Rect. & Math. Lect.

*Jone Pauli Spinckii Botbniensis Oratio de Templis. Dorpati 1642. Dedicata* - - - Du. M. Erico Matthiæ Botbniensi, Ecclesiarum Botb. Orientalis Inspectori Generali ac Pedersbønsium Pastori; Du. M. Thomæ Florino, Australis Præposituræ Botbnicæ Præsidi, atque Civitatis Wasa Paræciæque Musarensium Pastori; - - Du. Paulo Marci Bboom, Scholæ Nycarlebyensium Rectori - - -

(o) Cel. FORTHAN I, c. pag. 13, not. (g),

*Marci H. Helfingii* illæ supra memoratæ, eademque lingua scriptæ, quarum prima data est d. VI. Id. Dec. 1610, altera Cal. Dec. 1613, tertia Id. Dec. 1615. Prima harum missa *Erico* Pastori in *Kumbling*, duæ posteriores *Laurentio*, Pastori in *Sund*. Ex quibus videre est, eum A. jam 1610 Rectorem fuisse Scholæ Aboënsis, adeoque sine dubio *Marci Henrici* proximum successorem. A. 1628 fuit *Pastor Aboënsis*, & A. 1632 vocatur *Dioceseos Aboënsis Archipræpositus*, ut ex nuper allatis (not. (n)) perspicitur. Ante A. 1638 de vita deceffit, quo jam anno *Aesch. Petrus* fuit Pastor Aboënsis. (cfr. supra not. (n).)--- A. *Gabriele* quoque *Petri Melartopæo*, *Rimitinsulano*, Stutæo in Rectortu successore, quinque supersunt epistolæ latinæ, ad *Matthiam* Pastorem Eccl. in *Hammarland* omnes scriptæ, Scholares nonnullos ei ejusque paroeciæ commendantes, quarum prima data est Id. Dec. 1618, secunda Prid. Id. Dec. 1619, tertia VI. Id. Dec. 1620 quarta III. Id. Dec. 1621, quinta denique prid. Non. Dec. 1623. Hic *Melartopæus* per quatuor annos (a. 1602--1606) fuit Hypodidascalus in Schola Aboënsi, post in Germaniam iter instituit. Anno 1612 fuit Theologiæ Lector in Schola Aboënsi. (p) Jam A. 1618 fuisse Rectorem Scholæ ex allatis litteris novimus. A. 1628 audit *Rektor Scholæ Aboënsis*, & A. 1632 *Scholæ Aboënsis per longum jam tempus moderator*, (in *Dedicatibus* supra not. (n) allatis). A. 1633 constitutus est

Epi-

---

(p) *Nov. Aboëns.* A. 1795. N:o 49.,

Episcopus Wiburgensis. Vita functus A. 1641. (q)---  
 Lectorum Theologiæ in Schola Aboënsi alii nobis  
 non innotuerunt, quam supra laudatus *Gabriel Petri  
 Melartopæus*, qui A. 1612 fuit Theologiæ Lector (*Nov.  
 Aboëns.* a 1793. N:o 49); & *Thomas T. Florinus*, qui A.  
 1628 vocatur S. S. Theol. Lector in Schola (s. Gym-  
 nasio?) Aboënsi (supra not. (n)), atque *Aeschilius Petræ-  
 us*, qui in Disputatione *de Antichristo magno*, Præf.  
*Laur. Wallio* A. 1628 8:o Upsaliæ a se edita vocatur *ad  
 Scholam* (Gymnasium?) *Aboënsē* vocatus *Ord. Theol. Le-  
 ctor*: de quibus (*Florino & Petræo*) in paragrapho sequen-  
 ti, cum Lectorum Gymnasii Aboënsis meminerimus, plu-  
 ribus disputabimus.--Ex Conrektorum numero non nisi  
 duo nobis sunt cogniti, videlicet *Sigfridus Henrici*, quem,  
 de cetero nobis plane ignotum, circ. A. 1625, perjurii ac-  
 cusatum ac officio privatum fuisse, litteræ ejus indi-  
 cant, quarum ex Ms. vetusto descriptum apographum  
 in Bibliotheca nostra exstat Academica; & *Martinus  
 Stodius* (Theol. tandem Prof. in Academia Aboënsi),  
 qui A. 1623 *Scholæ Aboënsis Conrektor* appellatur (cfr.  
 supra not. (n)) & JUSTANDER l. c. pag. 8, cujus verba  
 sunt: *Mag. Martinus Stodius erat primo Conrektor A-  
 boæ--- denique Theol. Prof.*) Rector Scholæ Aboënsis

E 3

æque

(q) RHYZELII *Episcoposc.* P. 2. pag. 55, ubi tamen falso dicitur, ejus  
 locum natalem fuisse parociam Kimito cum esset Rimitin-  
 fulanus (h. e. e. parocia Rimito oriundus). Cfr. Cel. FOR-  
 THAN l. c. pag. 12, not. (g).

æque ac Theologiæ Lector & Corrector usque ad conditum Gymnasium simul fuerant Capitulares l. Assessores Consistorii (r). Rector fuit quoque Pastor Ecclesiæ *Refo*; cfr. litteræ in *Nov. Aboëns.* A. 1792 N:o 41, 42 impressæ, ubi simul docetur, id quod etiam facile est ad intelligendum, Scholam Aboënsē eo tempore, ut ante, palmam ceteris Fenniciæ Scholis præripuisse. --- Litteræ Rectorum Scholæ *Marci H. Helfingii, Joachimi M. Stutæi & Gabrielis P. Melartopai* supra commemoratæ, quibus Scholares munificentia Ecclesiarum ad quas mittebantur, commendant, ostendunt etiam, his temporibus, ut multo ante & post(s) in usu fuisse, Scholares, Litteris Rectoris Scholæ commendatitiis munitos, ad Ecclesias Dioeceseos tempore & autumnali & hyemali (t) mittere, ut eleemosynas conquirerent, qui postquam nonnullas hebdomadas in Ecclesia sustentati, opes quasdam ad studia sua persequenda, collegerant, ad Scholam reverterunt, cum lectiones aliquantum abruptas tempore solito incipere rursus solerent. Commemorari denique (u) merentur

- (r) Quod de Rectore ex subscriptione Concil. Upsal. A. 1593 patet; cfr. præterea BAAZIUS & STIERNMAN l. I, c. c.
- (l) Cfr. Cel. PORTHAN *Annott. ad Chron. Juust.* pag. 561. not. (537) & quæ ex Oratione Episc. JUUSTEN nuper attulimus.
- (t) Cfr. *Nov. Aboëns.* A. 1794. N:o 53.
- (u) Plura forte ad Historiam Scholæ Aboënsis facientia haberemus dicenda, si opes *Actorum Palmisköldianorum* in Bi-



tur litteræ Regis GUSTAVI ADOLPHI in *Novellis Aboënsibus* A. 1793 N:o 49 in publicam lucem emissæ, quibus Scholares, in Schola Aboënsi litteris studentes, patrocinio suo complectitur. Quæ litteræ insuper demonstrant, Reges ERICUM XIV & JOHANNEM III. eodem modo Scholæ hujus commoda promovisse, quorum Regum in Fenniam merita litteraria nostris jam temporibus crassis obducta erant tenebris; cfr. supra pag. 22. Insignem vero Regis JOHANNIS III. erga Scholam Aboënsē benevolentiam demonstrant præterea litteræ ejus in *Novellis Aboënsibus* A. 1794. N:o 31 sqq. typis editæ: quod idem de CAROLO IX scimus; cfr. quæ supra dicta sunt. Maximum vero beneficium litterarum cultoribus præstitit Rex GUSTAVUS ADOLPHUS, cum Lycea majora, quæ Gymnasia appellavit in Regno suo instituere decerneret, in quibus, qui litteris operam navare vellent, majori eruditionis suppellectili auferentur. Quo studio ductus ut in Svecia tria condidit Gymnasia, nimirum Lincopiæ, Strengnesiæ & Arosiæ: ita Fennia instituto ejusmodi egregio ut orbata esset nolens, *Scholam Cathedralem Aboënsē* in *Reg. Gymnasium* commutavit; de quo Gymnasio in sequenti paragrapho ex instituto dicemus.

---

bliotheca Reg. Acad. Upsalensis asservatorum, nec non *Archivi Regni* Stockholmæ, hac de re consulendi occasio nobis fuisset, quod olim, si fata concesserint, futurum speramus; ac si in posterum quædam hanc Scholam Ab. spectantia hinc inde colligere adhuc potuerimus, ea locis opportunis exhibebimus.

---

## Corrigenda.

Pag. 13. lin. 4. loco: 1350 lege: 1355.

Quum ea quæ in Annotationibus ad Chronicon Juustenianum pag. 330. not. (270) de *Conrado* Curato Ecclesiæ in Tenala habet Cel. PORTHAN, ipse postea in iisdem Annotationibus pag. 575. not. (503) revocaverit, monendo, *Conradum* illum Saeculo demum XV:to vixisse, ista quæ nos locum illum priorem scuti de hoc *Conrado* supra pag. 14 sq. diximus, erunt eliminanda. Fennos tamen quosdam, si non antea, tamen circa medium saltem Saeculi XIV:ti Parisiensem Academiam adiisse, nihilominus certum manet; qua de re cfr. etiam Nob. LAGERBRING *Svea Rikes Hist.* P. 3. pag. 854.